

**Quaestiones quatuor cardinales ... / propositae ab illustrissimis viris D.D.  
Francisco Chicoyneau ... Et D.D. Joanne Bezac ... Quibus acc. assertiones,  
problemata, et paradoxa.**

### **Contributors**

Chicoyneau, François, 1672-1752.

Bézac, Jean, -1738.

Wyss, Johann.

Ecole de médecine de Montpellier.

### **Publication/Creation**

Monspelii : Apud Honoratum Pech, 1709.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/k54j84z3>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

52762/P  
15  
(P)

# QUÆSTIONES QUATUOR CARDINALES

PRO SUPREMA APOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA

## PROPOSITÆ

Ab Illustrissimis viris

D. D. FRANCISCO CHICOYNEAU,  
Regis Consiliario & Medico, nec-non in almâ Monspe-  
liensium Medicorum Academiâ Professore Regio, Ana-  
atomico, Botanico, Cancellario amplissimo & Judice  
æquissimo.

E T

D. D. JOANNE BEZAC Regis Consiliario &  
Medico, nec-non ejusdem Academiæ Professore Regio  
dignissimo, Vice-Decano plurimùm venerando.

## QUIBUS ACCESSERUNT

## ASSERTIONES, PROBLEMATA, ET PARADOXA.

Horum omnium veritatem tueri conabitur per triduum integrum, manè ac  
serò, diebus scilicet & mensis Novembris ann. 1709.  
JOANNES VVYSS, Helvetius Bernas, jamdudam Medicina  
Licentiatus.

## DISPUTANTIBUS

Cancellario Amplissimo, Decano plurimùm venerando, Professoribus  
Regiis Illustrissimis, Doctoribus Aggregatis meritissimis, Doctoribus  
Ordinariis clarissimis, Licentiatis, Consiliariis, Baccalaureis, Studiosis,  
& quibuslibet aliis.

IN AUGUSTISSIMO MONSPELIENSIS APOLLINIS FANO,



MONSPELII,

Apud HONORATUM PECH, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis  
Typographum. M. DCC. IX.

318332

QUESTIONS  
QUATOR CARDINALES

ANSWERED BY JACOBUS DE CAGLIARI

PROPOSITUS

UP HILL IN A MILE

D.D. FRANCISCO CHICONE

ATLANTA, GEORGIA, U.S.A.

BY JAMES WOODWARD, VETERINARY SURGEON,

ATLANTA, GEORGIA, U.S.A.

WITH A HISTORY OF THE VETERINARY

ARTS IN THE UNITED STATES, AND

THEIR PROGRESS, FROM THE TIME OF

THEIR INVENTION, TO THE PRESENT DAY.

WITH A HISTORY OF THE VETERINARY

ARTS IN THE UNITED STATES, AND

THEIR PROGRESS, FROM THE TIME OF

THEIR INVENTION, TO THE PRESENT DAY.

WITH A HISTORY OF THE VETERINARY

ARTS IN THE UNITED STATES, AND

THEIR PROGRESS, FROM THE TIME OF

THEIR INVENTION, TO THE PRESENT DAY.

WITH A HISTORY OF THE VETERINARY

ARTS IN THE UNITED STATES, AND

THEIR PROGRESS, FROM THE TIME OF

THEIR INVENTION, TO THE PRESENT DAY.

WITH A HISTORY OF THE VETERINARY

ARTS IN THE UNITED STATES, AND

THEIR PROGRESS, FROM THE TIME OF

THEIR INVENTION, TO THE PRESENT DAY.



6260  
6261

MONAPHTH

John Hancock, Boston, Mass., U.S.A.  
Troy, New York, U.S.A.



# QUÆSTIO PRIMA CARDINALIS.

*An Variolis Vomitus.*

**V**ARIOLÆ Epidemicus plerumque morbus, nunquam contagiosus. Indiscriminatim adoritur, crebriùs juniores, rariùs adulatores, rarissimè senes. Omni quidem anni tempestate se prodit, sed vere magis & autumno. Nullas non corripit partes; semper externas, nonnunquam internas. Cutis universa, præsertim faciei & manuum, rubentibus primùm punctis subobscurè maculatur, dein prominulis asperatur, fit asperior sensim, grandioribus tandem efflorescit papulis, quæ ex latiore & rotundâ basi molliter acclives desinunt in acumen. Hæ crassescunt æquabiliter in dies, sexto summè tenduntur; tunc calent impensè, rubentque. Phlegmones sunt, suppurantur, incrustantur. Tria præcipue spectanda Variolarum tempora; Eruptionis, Suppurationis, Excavationis. Hæ dum fiunt absque gravi functionum lœsione, morbus est benignus; secùs, malignus est.

Benignæ variolæ sua percurrunt sine febre tempora. Eruptionis coinites russicula, sternutatio, levis sopor, nausea, alvi fluxus serosus &c. Maculæ, hic atque illic dispersæ, abeunt in rubentes papulas latas, rotundas, acuminatas. Est in benignis erumpendi facilitas, suppurandi securitas, & lœta succedit cum cutis nitore vietoria. Malignæ verò stipantur febre malè moratâ, quæ non nisi tertio quartovè die solvitur. Antequam erumpant, labor ingens & varius, cibi fastidium, vomitus, molesta membrorum lassitudo & subsultus, pectoris angustia, capitis dolor, vigilia, deliria, interdum sopor, aut alvi fluxus biliosus, &c. Dum erumpunt maculæ, habitu corporis æstuat infelix æger, dolet in quocumque situ, cuiusvis est impatiens, insomnis, sitionis, anhelus, sic foetens ut

Aij

abimer sit gravis, sic pruriens ut unguibus ora fœdet, præsertim dum laboriosa sit papularum in pus mutatio. Hic papulæ minus rubentes, interdum pallidæ. Nigris Exanthematibus, Petechiis, atque Carbunculis conjunctæ parùm elevantur, difficilè suppurantur. Confectum pus nunc purum, nunc sanguine mixtum, nonnunquam fluit ex auribus, oculis, naribus, pulmonibus, ventriculo, intestinis, atque vesicâ. Factâ suppuratione, cutis incrustatur, clausi tument oculi, tument labia, clauduntur aures & nares, ita ut deformis æger non videat, vix audiat, laboriosè bibat, deglutiatur, loquatur. Curato morbo cutis per plures menses intensè rubet, & interdum ita scrobiculis deturpatur, ut alia speciei lineamenta nonnumquam exhibeat, & toto vitæ decursu deformis ac fœda remaneat.

Peculiare Variolarum seminium, quod ex fermento uterino, ex sanguine menstruo, ex retento sanguine umbilicali corrupto deducunt, inertum commentum. Vitio non vertatur matribus aut obstetricibus lues illa Epidemica; Nullum enim datur fermentum uterinum. Fœtus lacte, non sanguine menstruo nutritur. Uterinum lac per Placentam & umbilicum transmittitur Fœtui, à quo per umbilicum ad Placentam; & sic deinceps cum sanguine circulatur. Fœtûs sanguis, ei proprius est, non maternus; nec relecto fune umbilicali corruptitur, sed cum circulante revehitur. Tam generant prolem Variolis obnoxiam parentes qui jamdudum passi sunt Variolas, quam qui nondum.

Variolæ, veri Phlegmones, ab morante sanguine calent, rubent, ab morante & extravasato elevantur, ab extravasato & putrescente suppurantur & albescunt; dissipato demum vel exsiccato pure incrustantur. Sanguis humorum omnium congeries, vivificus liquor, caloris fomes, rubedinis parens, minimas etiam corporis partes perlustrat, dum per ductus perpetuos & in minimis corporis partibus exiliissimos circuitu suo traducitur; indesinenti spirituum & lymphæ concursu, & repetito chyli preventu ubique fermentescit, rubet, reparatur, expurgatur. Præcipua expurgationis materia Perspiratio. Hæc est salsus humor, qui solet ejici per aures, per oculos, nares, pulmones, ventriculum, intestina, vesicam, cuæcum universam. Memoratae illæ partes tentantur Variolis, dum sanguis uberiorius expurgandus Perspirationem fundit crassiorem quam ut possit per strictos meatus liberè transmitti. Ductus excretorii eo succo turgidi infaciuntur, sanguinem cohibent; is cohibitus extravasatur, extravasatus suppuratur, suppuratus exsiccatur, donec finitâ expurgatione crassa diffaverit Perspiratio. Variolæ raro internas partes aggrediuntur, semper supra cutem efflorescent. Quare? Calent interna viscera, refrigeratur aëre cutis externa, præsertim faciei & manuum. Perspiratio, quæ vapor est, sit calore tenuior, densior frigore; per rariora viscera facile diffatur, per constipatam cutem difficile. Quæris, cur hæc sanguinis depuratio, quæ Variolas producit, semel vel bis in vitâ, & certo anni tempore, homini contingat? Observa paustum, cœcyliam, mel, aliaque fermentando, bulliendo, semel depura-

ri, expumari, defæcari, idque statis anni temporibus, nunc citius, nunc tardius, uberior aut parcius, pro diversâ liquidâ naturâ & aëris indole. Idem humano sanguini contingit. Hinc Variolæ. Aër æstivus sanguinem exagitat, Perspirationem movet, attenuat, disponit ad excretionem. Hygmalis retardat, inspissat, cohibet. Vernalis vel Autumnalis, calore & frigore varius, nunc movet, nunc motum coercet; sic vitiatis Perspiratione ac sanguine Variolæ producuntur toto anni decursu, sed vere magis & autumno. Nec solus aër, verum & alimenta dyspepta & cæteræ res non-naturales sunt causæ Variolarum Procatarrheticæ, evidentes, remotæ & occasioñales; quæ prout variè Perspirationem immutant & sanguinem, Variolas efficiunt benignas vel malignas.

Ut morbum hunc dignoscas, ejus perpende descriptionem, confer & distingue ipsius tempora. Eruptionis initio maculae rubrae, morsui pulicu[m] similes, æmulantur exanthemata. Hæ dein grandiores factæ dicerentur Morbilli, nisi accederet suppuratio. Suppuratas papulas dices Scabiem, nisi obstante antecedentia, concomitantia, subsequentia. Contagiosa Scabies, sordium soboles, præsertim occupat interstitia digitorum, maligna exanthemata scapulas, Variolæ vero faciem.

Cautus & prudens sit Medicus in assignandâ Variolarum prognosi. Hæc variat pro variâ sanguinis indole, pro varietate symptomatum, ætatis, anni temporum, & regionis. Sanguis quò crassior, quò fæculentior, eò difficiilius depuratur. Cum citius erumpunt Variolæ, impensè rubentes & acuminatæ, eò meliores; post elevationem subito subsidentes, pessimæ. Si nondum suppuratæ nigrescant, livescant, viridescant, vel penitus evanescant, lethum prænuntiant. Variolarum febris, si brevis & moderata, prodest Melancholicis & Pituitosis; Nocet vero Sanguineis & Biliofisi. In his eruptiōne[m] præpedit intensa febris, suppurationem retardat, exsiccationem accelerat. Sternutatio, tussis, nausea, alvi fluxus serosus, & levis sopor, si suppurantibus Variolis cessent, bonum; si perseveraverint, malum. Pessimi sunt omnis profundus sopor, Petechiae, Carbunculi, frequens vomitus, puris expectoratio, Ischuria, Dysenteria, convulsiones, graviaque alia symptomata. Pueri citius, facilius hoc morbo liberantur, quam juvenes aut senes.

Ut Variolis tutò mederi possit Medicus, naturæ minister & adjutor, Criticam illam sanguinis depurationem foveat, crassam attenuet Perspirationem, attenuatam eliminet per externam cutem, per pulmones, per ventriculum, intestina, vesicam; Quò natura vergit, eò ducere oportet. Pienignæ Variolæ febris expertes, ex simplici diæta auxilium postulant. In his Chyrurgica manus otiosa maneat, ablegetur Pharmacia; totum opus naturæ committatur. Äger hauriat temperatum aërem; sustentetur diu[n]tis boni succi, facilis concoctionis, & liquidioris substantiæ, & modicâ copiâ; Et sic nutritur absque noxâ patientis ventriculi. Ad hæc modicæ stragulis obtengatur, ut caleat; somno & vigiliâ sibi mutuo succedentiibus recreetur. Perspiratio excernenda nec retineatur, nec promovetur; vitenti arque vche-

mentiora animi pathemata. Malignas Variolas diversimodè tracta , pro symptomatum gravitate , pro ægri viribus , anni temporibus , & regionibus. Si febris intensior eruptionem præpediat , suppurationem retardet , accelerat exsiccationem , deliria foveat , pulmones obruat , venam secato , insiste refrigerantibus. Cùm maligna febris , male morata , sanguinem cohibet in cerebro ad soporem , in corde ad syncopem , in cute ad exanthemata , Petechias , Carbunculos , cùm pulsus est debilis & tardus , cùm arida est lingua , impensè rubet vel nigrescit , cùm vires sunt in ægro prostratæ , cùm vix erumpunt Variolæ , cùm apparent sed non elevantur , cùm elevatæ non suppurantur , retröpelluntur ; Quid factò opus ? Venæ sectio jugularet ægrum , & refrigerantia sopitum sanguinis motum penitus cohiberent ; tunc igitur insiste Cardiacis , Diaphoreticis , Sudorificis , Diureticis , Catharticis , & præsertim Emeticis. Vomitu abstergitur ventriculus saburrâ , acceleratur sanguinis circuitus , sopor discutitur , fluunt spiritus in sanguinem , & is facilis expurgatur ad Variolarum eruptionem.

*Ergo interdum Variolis Vomitus.*



## Q U Ä S T I O SECUNDA CARDINALIS.

*An Dysenteriae Turpetum gummosum Hypocacuanhae  
preferendum.*

**D**YSENTERIA , difficultas Intestinorum , Dyarrhoeæ species , vulgo definitur frequens dejectio sanguinis cum dolorificis tor- minibus. Se prodit enim crebro alvi fluore cum gravi doloris sensu & molestâ desidendi cupiditate. Primò quidem nihil penè excen- nitur nisi muco sum quiddam pingue , viscidum ; mox pars serosa sequitur , tum rumpuntur venulæ & cruor manat. Continui dolores nec diurnæ nec nocturnæ quieti tempus relinquunt ; variè se jactat æger , se propè funeratum clamat , suique impatiens cibos ferè omnes haustusque cum indignatione res- puit. Diris hujusmodi symptomatis accedunt anxietas , ventris inflatio , sitis ardens , ructus importunus , nausea inutilis. Non procedit Dysenteria sine febre , quæ licet primis temporibus satis obscura , sensim tamen emicat , & invalescit , canetsi delirio , capitis gravitate , & nonnullis aliis febrium- symptomatis.

symptomatis ut plurimum expers. Ita ferè semper Dysentericus ad extremum usque spiritum permanet mentis compos, dum tetra hæc lues per alvi regionem grassatur.

Qui contendit Dysenteriam esse Intestinorum exulcerationem, aut nimium confidit Authoribus, aut fallitur specie veri. Pus & pinguedinem excerni putat, dum tamen excernuntur humores, qui calore immutati albescunt, crassescunt, viscidi fiunt, vertuntur in mucum sanguinolentum. Diceresne Peripneumoniam esse Pulmonum exulcerationem, quod Bronchialis humor, naturaliter insensibilis, vertitur ab inflammato Pulmone in sputa crassa, viscida, alba, flava, sanguinea? Pulmo in Peripneumoniā idem patitur ac Intestinum in Dysenteriā; singulæ illæ partes præter natum calent, dolent, irritantur ad frequentes contractiones, ac sæpè inutiliter contrahuntur ad exiguum humorum excretionem, quia inflammantur. Num dubitas? Aperi cadavera, affectas partes reperies non molles, non corruptas, non exulceratas, sed firmas, integras, & impensè rubentes. Intestina quâ parte naturaliter alba sunt, in Dysenteriā rubent adeò ut membranous ductum dices nonnisi ex innumeris vasis sanguiferis contextum, eo propè modo quo cernuntur in Ophthalmiā, Pleuritide, & omnibus membranarum inflammationibus turgiduli ductus sanguinei.

Humanum corpus duplici partium genere constat; Solidarum, quæ vasæ sunt, & liquidarum, quæ dicuntur humores. Sese mutuò movent illæ partes, & moventur indesinenter; solidas namque tendunt liquidæ fluendo, liquidas pellunt solidæ sese constringendo. In hisce mutuis & perennibus, sed alternatim factis, partium motionibus consistit vita. Sanitas est mutuus respectus & velut æquilibrium singulorum humorum cum propriis vasis. Vitiato hoc æquilibrio fit morbus. Intestina gracilia & crassa, ex vasis & humoribus constant; peculiarem habent cavitatem ori, œsophago, ventriculo continuam, in quâ digeruntur alimenta ad Chyli productionem. Huc confluunt bilis, succus Pancreaticus, fermentum Intestinale, & interna adjacentium partium Perspiratio. Hi membranosi ductus flexiles sunt, humorum affluxu tendantur, dein Elasticâ suâ vi constringuntur, constrictione pellunt humores, alimenta & excrementa, quæ vicissim fluendo membranous ductum dilatant, stimulant ad contractionem. Singula hæc juxta naturæ leges perficiuntur, quandiu debitum servatur æquilibrium humores inter & via Intestinorum. Cum vero sanguis hæret in propriis vasis, vel extravasatur in membrano textu, adeò ut inflammatæ Intestina præter naturam tendantur, quid contingit? Continuo humorum, alimentorum & excrementorum affluxu pars inflammatæ torquetur doloribus, ad frequentes contractiones stimulatur, difficulter constringitur. Dolorificâ, frequenti atque difficiili contractione rumpuntur venulæ, effusus sanguis excrementis permistus ex alvi regione fluit. Itaque Dysenteria definienda videtur, Intestinorum inflammatio, cuius ratione fit frequens & dolorifica sanguinis dejeclio.

Dysentericam Intestinorum inflammationem ex abusu sex rerum nonnaturalium facile deduces. Aër contactu, & inspiratu, imò & exspiratu nos afficit. Nos sanos reddit, cùm purus est; morbosos, dum vitiatus nos inficit. Inquinat sanguinem tetris paludum, cadaverum, aliarumque rerum putrescentium halitibus gravis. Fervidus æstivo tempore, æstum inurit visceribus; tempore brumali perspirationem cohibet. Pravæ quoque potuum qualitates Dysenteriam procreant; hæ sunt aquæ corruptæ, palustres, lacustres, & quas nunquam aura liberior verberat. Accedunt & ova, carnes, pisces, aliaque corrupta, quæ comeduntur difficillimis temporibus, ut hâc miserabili ciborum penuriâ; usus tandem alimentorum omnium, quæ sunt insueta, aliena, prava. Vigiliæ immoderatæ, somnus inquietus, exercitia immodica, durior equitatio, ut & animi pathemata, timor, tristitia, odium, edaces curæ, ira impotens, importuna famæ, sitis intensa, & alia remotè concurrunt ad Dysenteriam, quatenus vitiant alimentorum coctionem in ventriculo & Intestinis, vel quatenus pervertunt humorum circuitum.

Ægri relatu, atque dejectionum inspectione dignoscitur Dysenteria. Conqueritur patiens de dolore ventris, torquetur torinibus in umbilicali præsertim regione vagantibus, vel in Colo circulatim sœuentibus. Et fæces sunt præter naturam liquidæ, & sanguis eis est exquisitè permistus. Non laborat Dysenteriâ qui sanguinem sine dolore dejicit, sed Hepatico fluxu. Dolente tantum podice Tenesmus adest, & hunc comitatur inutilis dejiciendi conatus. In fluxu Hæmorrhoidali sanguis fæces antecedit, vel sequitur. In fluxu Hepatico, Tenesmo, Hæmorrhoidibus excrementa naturalem ut plurimum obtinent consistentiam, in Dysenteriâ non obtinent. Affectis gracilibus Intestinis dejectiones longius à dolore profunduntur; crassis vero, proximè. Ut dignoscas quæ fuerit Procathartica morbi causa, quæque morbum foveat, diligenter perpende ægri temperamentum, viæ rationem, regionem, & anni tempestatem.

Intestinorum inflammatio facile serpit à parte in partem, & plerumque resolutione, raro suppuratione terminatur. Exemplum quæris? Observa Peripneumoniam ex prægressâ Pleuride ortam; externa pulmonum pars primum inflammatur, dein interna, totus demum Pulmo hærente sanguine obtutus cum summo suffocationis periculo. Si robusta pulmonis substantia inflammationi resistat, sanguis hærens vel resolvitur, morbusque terminatur ad salutem; vel in pus convertitur, & morbus mutatur in Phthisim, in Vomicam, vel Empyema. De Dysenteriâ idem esto judicium; serpit inflammatio à tenuibus Intestinis ad crassa, à crassis ad tenuia, à parte internâ ad externam, ab externâ ad internam, & hæc ab hærente sanguine nimùm turgida vix contrahuntur. Æger, dum Chylus non conficitur, conficitur macie, fit Lientericus vel Cœliacus, aut Iliacâ passione torquetur, ex quibus mors. Si vero sanguis extravasatus dejiciatur, & hærens resorbeatur, morbus solvit ad salutem; si putrefactat, inveterata Dysenteria vertitur in abscessum, vel ulcus Intestinorum. *Dysenteria in tenuibus intestinis pers-*

*culosior quām in crassis; quia tenuia subtilioris sunt contexturæ, & exquisitiōris sensus, magisque Chylificationis ministra quām crassa. Dysenteria supervenient, viribus à gravi morbo fractis, lethalis est, ut quæ supervenient febribus malignis, atque Variolis. Lethalis quoque Singultus post longam Dysenteriam. . . . Convulsio ac Delirium in Dysenteriā mortem portendunt; hæc enim denotant spirituum penuriam & motum inordinatum.*

Quod est Architecto libella & linea, Nauclero clavus, id Medenti sunt Indicationes, quas cautè dirigit ad naturæ normam in curatione morborum. Cùm Dysentericus viribus pollet & pulsum habet plenum, cùm deurenti calore consumitur, cùm febre tentatur, tunc compescendus sanguis & minuenda ejus copia venæ sectionibus & Refrigerantibus. Cùm vagantur per alvi regionem Borborygmi ac tormina, cùm vigiliæ modum excedunt, tunc coercendus spirituum impetus Anodynīs atque Narcoticis. Cùm frequentiores ac ubiiores dejectiones vires exhauiunt, somnum interturbant, tunc cohibendus est vacuationis excessus Absorbentibus & Adstringentibus. Contrà verò cùm Dysentericus urgente Cacochymia frequentibus sed inutilibus dejiciendi conatibus fatigatur, cùm Intestina humoribus turgida parciūs exoneratur, tunc uberior & promptior exfuscitetur humorum secretio Purgantibus specificis, inter quæ plurimū commendatur Radix illa famosa Brasiliensis, Hypocacuanha vernaculo nomine dicta, quæ ut plurimū per superiora vehementer expurgat. Ab ejusmodi medicamento benè vel præpostorē exhibito sæpè sæpius vita & mors. Etenim modicâ & ter repetitâ dosi Dysenteriam tollit, auget verò & efficit incurabilem dosi vel frequentiori vel nimiâ. Radix altera Turpethi gummosi nomine Authoribus nota, feliciter in Nosocomio Monspeliensi primū exhibita, sine vomitu Dysenteriam sustulit. Hocce medicamentum purgans ita pluribus ab hinc annis successu fuit prospero, ut nec exuperanti dosi nec frequentiori Dysenteriam intenderit, sed plerumque sanaverit. Viam sequere usu plurimo & magistrâ rerum Medicarum experientiâ comprobatam.

*Ergo Dysenteria Turpethum gummosum Hypocacuanha  
preferendum.*





# QUÆSTIO TERTIA CARDINALIS.

*An Ischuria Emeticum.*

**I**SCHURIA, Urinæ suppressio, symptoma in actione abolitâ supervenit plurimis renum, ureterum, vesicæ ac urethræ morbis. A sanguine perenniter urina secernitur per ductus renuni secretorios, in utramque pelvem; hinc per ureteres in vesicam confluit, ubi collecta pro mentis arbitrio vel retinetur vel per urethræ canalem ejicitur. Quoties angustatur unica vel plures ex memoratis partibus, adest Ischuria. Cum renes tentantur inflammatione, tunc comprimuntur urinosi ductus, hæretque cum urinâ sanguis in Emulgentibus. Cum obstruuntur ab effuso sanguine, ab extravasatâ Lymphâ, ab arenulis, à calculo, aut ductus urinosi, aut Pelvis, aut ureteres, urina non prætersilit. Cum ultra modum vesica lotio retento distenditur, cum inflammat, cum à luxuriante sero relaxatur, cum facta est Paralytica, contrahi non potest ut profundat lotium. Cum vesicæ collum, quod urethræ principium est, Spasmo corripitur, obturatur calculo, inflammat, cum comprimitur urethræ ductus, obstruitur, constipatur, tunc frustrâ vesicam contraheres, urina non effluet. Dixere veteres Medici Ischuriam Notham, quam pariunt morbi renum ac ureterum, & Legitimam, quam affectus vesicæ ac urethræ procreant.

In Nephritide, licet unicus ren inflammetur, producitur tamen Ischuria, quod, cum non possit liberè propelli sanguis ad renem illum, nimia fluat ad alterum copiâ adeo ut convectam non possit urinam in eum depонere. Tunc anxius æger conqueritur de fixo lumborum dolore, infestatur urinosâ nauseâ, urinoso vomitu; febre corripitur, ne quidem ad mingendum sollicitatur. Similia ferè senviunt symptomata cum penitus obstruit renum pelvem aut ureteres Calculus; & hæc illius sedes ex eo distinguuntur, quod oriatur dolor acutissimus à lumborum regione, tendat ad anticam partem abdominis, & ad vesicam terminetur, quodque adsit, in maribus Testium retractio. Dum Ischuriam morbi vesicæ pariunt, tunc adest tumor in pubis regione, impensè dolorificus in inflammatione vesicæ, in Paralysi doloris expers, & modicè dolens in præternaturali distensione. Hoc Ischuræ genus raro comitatur vomitus urinosus, pleniusque sopor Lethargicus. Ex prægressâ Gonorrhœâ non semel inter utrius-

que

que Prostata sedem, ubi angustior est communis lotii ac seminis ductus, mollior relinquuntur cicatrix, quæ si tumida facta fuerit lotii canalem obstruct, Ischuriā procreabit. Tunc vesica tumet, inutilis adeat mingendi cupiditas, pubis & inguinum regio dolore infestatur. Ischuriā quoque poterunt inducere similibus Symptomatis stipatam, uteri prolapsus, internus Hæmorrhoidum tumor, fæces induratæ, scilicet comprimendo vesicæ collum. Hoc inflammatur interdum, urinamque fistit, in Variolis Malignis, Dysenteriâ, Tenesmo, vel etiam à causis externis, cujusmodi sunt frequens liquorum ardentium aut cerevisiæ potatio, equitatio nimia, Veneris excessus, &c.

Dignoscitur Ischuria ex ætri relatu; sed quæ sit Ischuriæ causa, à quo morbo procedat, difficile dignoscitur, & non nisi ex plurimorum signorum syndrome. Ubi dolor ibi morbus. Nec sufficit ex situ doloris arguere morbi sedem, etenim Paralytica vesica producit Ischuriā doloris expertem. Cùm soli renes vel ureteres angustantur, vacua persentitur vesica, non tensa. In Ischuriâ legitimâ primò vesica tenditur, mox refluit urina in ureteres ac renes, ad quos tensivus dolor serpere visus est. An pars affecta inflammetur, an à Calculo, ab Arenulis, à Lymphâ obstruatur, illud ex ætri temperie, ex prægressis atque conjunctis deducere conaberris. Partem inflamatam censebis in Biliosis vel Sanguineis, post immodicas mentis, corporis, Bacchi, & Veneris agitationes. Inflammata pro-nuntiabis ex intenso ejus calore, febre Lipyriâ, dolore indesinenti. Partem affectam obstrui suspicaberis ex humorum lentore in Melancholicis & Pituitosis, qui post vitam sedentariam, nimiam ciborum ingurgitationem, & diuturnam urinæ retentionem nullatenus mingunt, corpore frigent cum pulsu debili & raro; & si quis debeat in his esse dolor, non ille continenter affligit, sed alternis vicibus sopitur & recrudescit. Si præcesserint dolores Nephritici, vel arenularum excretio, argues grandiorem calculum esse affectionis causam. Calculus urinalis duplex, neimpe renalis & vesicalis. Prior prægressam supponit Nephritidem, non posterior. Tartarea urina, etiam sanorum & benè constituta, ubique moretur, sedimentum deponit. Hoc in arenulas convertitur, arenulæ in calculum, idque simplici partium quiete, non ex lapidescente succo. Falluntur Medici qui semper querunt prægressam Nephritidem ad suspicandum calculum vesicalem. Is procreari potest independenter à renali, nec producit Ischuriā, nisi cùm vesicæ collum penitus obstruit, tuncque Ischuriā autecedit, vel consequitur Dysuria vel Stranguria. Fit Dysuria, urinæ stolidiūm, dum calculus vel arenulæ impediunt vesicæ ductum nec penitus obstruunt. Fit Stranguria, difficilis & dolorifica urinæ dejectio, cùm eadem arenulæ, vel calculus mictionis tempore contractam vesicam vellitant, aut cùm vesicæ collum phlogosi aut inflammatione tentatur, vel cùm id comprimitur ab internis Hæmorrhoidibus, uteri prolapsu, &c.

*Liquor  
caudanum*

Omnis Ischuria periculi plena, vix ad septimum usque diem perdurare

poteſt quin ægrum jugulet. Namque ſi diu retineatur lotium, quod ex tar-  
tare sanguinis fæce & copioso phleginate conſtat, ſanguis corrumpitur,  
humor omnis redditur urinosus, recrementa fiunt excrementa, & ſerum  
luxurians laxat viſcera. Hinc fit ut Ischuriā correptus ſæpè odorem diſfun-  
dat urinosum, urinoso moleſtetur vomitu, & Lethargicus interdum fiat.  
Ad hæc, Ischuriæ Prgnōſis varia, pro diſverſitate morbi cuius eſt ſymp-  
toſia. Obſtructis renibus totum lotium in ſanguine redundant; cùm veſica,  
renibus liberis, impeditur, tunc lotium ſecernitur quidem, ſed non excer-  
nitur, & hinc veſicæ diſtentio. Hanc ſi ſubſequatur inflammatiō, acceſ-  
ſetur febris Lipyria, citò tolletur æger. Rađo reſtituitur veſica, ſi Para-  
lytica facta fit. Si obturetur illius orificium calculo, ſi comprimatur ab  
uteri prolapsu, ab Hæmorrhoidibus, aliisque, curationem admittit.

In Ischuriā curandà lotium non pellas, ſed expellas; ne niſiūm  
fidas largis Diureticorum potionibus, nec frequentibus Hydroticis.  
Hæ & illæ obſtructos renes vel ureteres ſæpè magis infarciunt, reple-  
tam veſicam vel urethram opplenat, fiuntque corpori graves. Diuretica ca-  
lida ſunt vel frigida. Calida dicuntur quæ ſanguinis motum intendunt,  
ut Salia fixa plantarum, Liquores ardentēs, pulvis Millēpedum & Can-  
tharidum, Terebinthina Galenicè vel Chymicè præparata, ſpiritus Terebin-  
thīæ, aliaque id genus. Frigida verò motum ſanguinis cohibent, ut Spi-  
ritus Nitri, Salis, Vitrioli & Sulphuris, Aqua temperata, Nitrum, Sal  
prunellæ, Succus Limonum, Acetosæ, Berberis, &c. Diuretica calida au-  
gent Ischuriā, cùm hæc fovetur ab inflammatiōne partium internarum,  
vel cùm coniunctam habet humorum rarescentiam. Niñio Refrigerantium  
uſu Paralytica veſica laxatur ulteriùs. Fokus & linimenta parūm con-  
dueunt in Ischuriā legitimā, inutilia ſunt in nothā & ſpuriā. In illā Spe-  
cillum Chyrurgicum, dum introduci poſteſt, rađo prodeſt, & ſæpè no-  
cet; in iſtā ſemper facile intromittiuitur, ſed inutiliter. In omni Ischuriā  
confert Balneum aquæ tepidæ, ſed nonniſi pluries repetitum. Proſunt  
Enemata, interdūm inutilia ſunt, imò noxia dūm alvum nimis diſten-  
dunt & flatibus implent in Ischuriā legitimā. Quo igitur ſe vertet Me-  
dicus? ſæpè intermittat ſympotoma, morbi tentet curationem, ut Ischu-  
riæ, veri ſympotatis, cauſam diſcutiat. Medeatur, prout opus fuerit,  
Nephritidi, inflammatiōni renūm, calculo, arenulis; opem ferat veſicæ  
inflammatae, lotio diſtentæ, laxatae, Paralyticæ; tumentem prægressæ  
Gonorrhœæ cicatricem deprimat, nunquam corrodat; prolapsum uterū  
reſtituat, Hæmorrhoides depleat, Tenesimum, vel Dysenteriam ſanet,  
aliaque id genus diuersa præſtet pro varietate cauſarum Ischuriæ. Sublatā  
cauſā tollitur effectus. In Ischuriā diuturniori turgent lotio & ſanguine, ſi-  
mul confuſis, vasa ſanguifera; hæc diſtentia ſic comprimuntur in renibus,  
ureteribus, aut veſicā, ut jam adſit vel faltem immineat inflammatiō,  
peſſimum ſympotoma; itaque veſeſe ſectionibus iſiſtatur. Depletis vaſis ſan-  
guiferis, ſuperfluuum ſanguinis ſerum, quod per conſuetos urinæ ductus

expurgari non potest, aliò derivetur discutiaturque. Num Sudorificis, Catharticis vel Emeticis? Sudorifica ubique serum deponunt. Catharticis intestina, renibus ac vesicæ adjacentia, irritantur, distenduatur, renes ac vesicam comprimunt. Emeticis verò solus distenditur ventriculus, dein constringitur; alternatim contrahuntur Diaphragma & musculi abdominis. Sic infarti renes & repleta vesica concutiuntur, impacterique materiam coguntur excutere; Sic Lethargus imminens præcavetur, vel præsens discutitur; Sic urina fermento ventriculi commixta per breviorum viam eliminatur.

*Ergo diuturniori Ischuria Emeticum.*



## QUESTIO QUARTA CARDINALIS.

*An Scorbustus sit agritudo nova, contrariis  
remediosis curanda.*

**S**CORBUTUS, ut Authores perhibent, morbus non est, sed morborum Ilias. Eum repetit Sennertus ab inusta toti corpori prava & occultâ quâdam affectione, quam induxit humor melancholicus, crassus, ichorosus, peculiari modo corruptus; huic adscribit Gingivatum corruptionem, laxitatem dentium, oris graveolentiam, crutum debilitatem, pectoris angustiam, purpureas maculas, infractas vires & ulteriore symptomatum turbam.

Nec minus est copiosus, cùm tradit hujuscè morbi descriptionem, Charletonius. Familiaria ejus symptomata in classes quatuor distribuit. Primæ adscribit ea quæ facultates animales affligunt, ut varios variarum corporis partium dolores, vertigines, convulsiones, arthritidem vagam, Paralysim, vigilias immoderatas, aut profundum Soporem. Alteri ea tribuit, quæ sunt vitalibus infesta, ut respirationem difficultem, interpolatam pectoris angustiam, cordis palpitationem, Lipothymiam, & febres multigenas. Tertiæ, quæ organa nutritioni dicata pertinent, ut læsam deglutitionem cum strangulationis metu, nauiscam, vomitum, salivationem,

ingentem, alvi fluxus varios & interdum Dysentericos, aut ex adverso tardas & pigras dejectiones; haemorragias ex uteri, ani, narium, pulmonum, ventriculi, crurum, labiorum arteriolis erumpentes, & urinas insigniter varias. Assignat quartæ classi ea symptomata, quæ totius corporis habitum infestant, ut maculas diversi coloris, tubercula dura, insignes tumores, Erysipelalem vagum, ulcera sordida, œdematosos pedum tumores, Hydropem, Gingivarum intumescentiam, laxitatem, cruentationem, putrefactionem; nigredinem dentium, vacillationem, excisionem alveolorum, fœtidissimos oris halitus, Atrophiam universalem. Cuncta hæc adeò varia Scorbuti symptomata nonnisi variis subjectis atque morbi temporibus accidere possunt; unde Charletonius, constitutâ non unicâ & simplici, sed variâ complexâque Scorbuti causâ proximâ, tria consti- tuere conatur Scorbuti genera. Primum ducit à sanguinis ranciditate; alterum à sale fixo; tertium ab acido.

Liceat & nobis, quæ de hoc morbo sentimus, proponere. Et primò quidem certum est, nullum dici Scorbuticum, cui non reperiatur Gingiva intensâ rubidine ac laxitate labefactata, quæ vel levi datâ occasione sanguinem fundat, inflammetur, dein corrumpatur, putrefeat, vacillantes den- tes relinquat, inficiat nigredine, eoque cum propriis alveolis exedat, nec non fœtidissimos halitus indesinenter diffundat. Quid vetat igitur simplici dici Scorbutum, si hæc oris vitia successivè superveniant absque ullâ prægressâ Hydrargyri tractatione & Luis Venereæ suspicione, corpore aliqui- quo sano? Si verò reliquæ corporis partes simul afficiantur, quid vetat Scorbutum dici compositum aliisque morbis complicatum? Sic suus cuique morbo locus erit, cuique sua descriptio. Scorbutus non morborum Ilias, sed verus morbus, in plagiis Septentrionalibus Endemius, Brittannis Sporadicus, ubique Epidemicus, & semper Contagiosus, symptomatice definiri poterit; Illud fœtentis oris vitium, in quo laxata Gingivarum compa- ges, vel levi datâ occasione externâ, primum sanguinem fundit, dein sup- puratur, postrem Gangrenâ corripitur & à dentibus separatur; in quo den- tes Gingivarum laxitate vacillant, suppuratione nigrescunt, eroduntur, & ex Gangrenâ una cum propriis alveolis carne denudatis & pariter erosis, decidunt.

Sicut Apoplexia est morbus cerebri, Peripneumonia pulmonum, Syn- cope cordis, Cardialgia ventriculi, Nephritis renum, Dysenteria intesti- norum, ita & Scorbutus Gingivarum. Tametsi Apoplectici difficulter interdum respirent, & Peripneumonici sopore corripiantur; illa tamen res- pirandi difficultas non dicitur Perineumonica, nec sopor ille Apoplecti- cus. Quorsum ergo affectiones varias, quæ cum Scorbuto junguntur, dices Scorbuticas? An citius vel latius per universum corpus diffundun- tur Gingivarum vitia, quam cerebri, pulmonum, & cordis læsiones? Ubique consensus unus, conspiratio una singularum humani corporis par- tium inter se ad perfectam sanitatem. Verum satis est præter naturam & notabiliter affici unicam viventis partem, ut hæc ejus affectio dicatur mor- bus.

bus. *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quocumque defectu.*

In Scorbuto simplici solæ Gingivæ primum afficiuntur, quod hæ Pro-catharticis Scorbuti causis magis exponantur. Is est Nautarum victus, ut eorum Gingivæ pane biscocto & aridissimo tententur, excorientur; ut de-hinc irritentur salitis piscibus, lardo & butyro rancidis, vetere caseo & sèpè salso, leguminibus crudis, aliis, cæpis; ut dentium sordibus & hausto salsiori ac frigidiori aëre Gingivæ computrescant. Hinc frequen-tior Scorbatus & Endemius ad tractus Septentrionales, sèpiusque Nau-tas invadit & Rusticos, ob eorum victus rationem, dentiumque spurci-tem. Nobiliores verò minus aggreditur; & cum aggreditur, minus infestè, & quod sint melioris succi, quibus vescuntur, alimenta, potus-que salubriores, & quod dentes curent nitidiùs.

Si ex Nautarum victu, si ex abusu rerum Nonnaturalium lèdantur coctio, chylificatio, sanguificatio, lymphæ, spiritus animales &c. non Scorbatus simplex procreatur, sed compositus. Melancholia Hypochondriaca vulgò dicitur mater Scorbuti, non equidem simplicis, sed compo-siti & complicati. Crassus Melancholicorum sanguis, cum hæreat & lentiùs circuletur à Gingivis, eas ad Scorbutum disponit, nec tamen per se Scorbutum producit. Plutimi enim dantur Hypochondriaci sine Scor-buto, & Scorbutici sine affectione Hypochondriacâ.

Hippocrates passim descripsit Scorbutum compositum sub magni lienis nomine & Ileos Hæmatitis. Ejusdem meminit Celsus Lib. 2. Cap. 6. & Ägineta de Scirro Lienis Lib. 3. Cap. 49. nec descripsere Sennertus, Charletonius, aliique Scorbustum simplicem, sed compositum & complica-tum. Ergò Scorbatus compositus & complicatus ægritudo est ab Antiquis descripta, non Scorbatus simplex.

Is, tamen si suam in solâ oris cavitate tragœdiam exequatur, non ex dentium, sed ex Gingivarum inspectione dignoscitur. Sunt quibus dentes nigrescunt, dolent, carie tentantur, & varias adsciscunt oris fluxiones, nec tamen Scorbatus adest. In illis primum dentes, dein Gingivæ affi-ciuntur; in Scorbuticis verò primum Gingivæ, dehinc dentes. Priori simplici dentium abstirpatione vel exstirpatione curantur, sic sanas habent Gingivas. Contrà Postiores, Gingivas habent primum tumentes, rubras, prurientes, laxas & sanguinolentas, dein exulceratas, Gangræna & Spha-ceulo corruptas; hæc autem vitia serpunt à Gingivis ad dentes, nec den-tium exstirpatione curantur. Sic simplici Gingivarum inspectione Scorbutum Simplicem dignoscet, dummodò certus sis ex fido ægri & adstan-tium relatu hæc adventitia oris vitia nec ortum ducere ab usurpato mer-curio, nec à viru venereo fovari, sed à Nautico victu præsertim in re-gionibus Scorbuto familiaribus, vel si æger usus fuerit diætâ Scorbuto generando aptâ, tum si ex Scorbuticâ prole natus aliquandiù cum Scor-buticis fuerit versatus. Cognito simplici Scorbuto compositus quoque notus erit, nimirum ex propriis signis morborum Scorbuticam lucem con-comitantium.

Incipiens Scorbustus facile curatur, si simplex fuerit; confirmatus vero atque compositus multa curatione indiget, & vix unquam radicitus tollitur. Suppuratus in Scorbucis Gingivarum tumor nisi mature sanetur, carnem ad ossa usque absunit, os dentibus expoliat. Interdum liquor totam oris cavitatem occupat, & insignis supervenit palati & faucium putredo. Scorbustus hereditarius, & qui a pueris quasi adolevit, difficulter curatur, vel curatus facili de causâ repullulat. Qui supervenit Affectio Hypochondriaca diuturnus est & contumax, qui febribus, præsertim malignis, acutissimus atque lethalis. Is sequitur Prognosim morborum quibuscum complicatur, eosque pejores reddit.

Methodicam Scorbuti curam aggressurus id cautè perpendas, an sit unicūs morbus debellandus, an plures aut sibi similes, aut contrarii. In Scorbuto simplici solis Gingivis medeat, laxatae obfirmentur, inflammatæ demulcentur, suppuratae abstergantur, & penitus corruptæ absumentur. Si vero fuerit complicatus, tunc pro morborum & symptomatum varietate curationem variabis. Cum adest Affectio Hypochondriaca, ventriculi cruditatibus, humorum lenti & contumacibus viscerum obstructionibus medendum. Cum febres multigenæ, compescendus humorum motus, lenienda faliū acrimonia, postremò eliminandæ humorum fæces. Si ægrum fatigaverint dolores, vigiliæ, convulsiones, deliria, tunc contrario prorsus modo te geras, quam si Paralysis adsit vel sopor. Item alia eaque contraria convenient medicamenta in alvi fluxu, & in alvo strictâ. Maculæ cutis nunc debent resolvi, nunc suppurari, abstergi. Sanguineas excretiones sœpè cohibeas, interdum promoveas. Porro morborum Scorbuto coniunctorum multiplicitas multiplicitatem indicationum atque remediorum expostulat. Tanta reperitur apud Authores Specificorum farrago, ut Antiscorbutica vix possint certo numero comprehendendi. Hæc sunt præcipua, Bocabunga seu Nasturtium aquaticum, Cochlearia, Raphanus uterque, Sedum minus, Centaurium minus, Sinapi, Arum, Carduus Benedictus, Fumaria, Chelidonium minus, Radix Chinæ, Lignum Sanctum, cunctaque Salia volatilia. His adde Tartarum vitriolatum, Sal fixum Absynthii, Sal prunellæ dulcificatum, acidum Salis spiritum, Spiritum salis Armomiaci, Elixir proprietatis Paracelsi, Tincturas ex sale fixo Tartari & ex gummi Laccâ spiritus vini ministerio elicas. His & similibus, tametsi contrariis & ex adverso pugnantibus, si Diætam adjunxeris Scorbucæ Lui contrariam, curabilem Scorbutum simplicem atque compositum debellabis.

*Ergo Scorbustus agritudo nomine-tenus nova, contrariis  
remediis curanda.*



## ASSERTIONES.

### I.

**E**X solis constat fistulis & humoribus Humana machina.

I I.

Quandiū vivit homo , humores reparantur ; non vasa , ne quidem in vulnerum curatione.

I I I.

Omnis humor est alibilis ; nec alit , nisi vasa distendendo & extendendo.

I V.

Non erescunt gravidae uterus & nutricum mammæ , nisi humorum accessione. Horum recessu decrescent. Idem esto judicium de reliquis partibus solidis , imo & de Plantis.

V.

Quævis pars solida , etiam orbata sensu , quandiū vivit , accipit spiritus per proprios nervos , quin etiam in perfectâ Paralyſi.

V I.

Quemadmodum in Viris etiam castissimis sponte fluit semen statim temporibus , ita in mulieribus lac uterinum periodicè fluit ; & hinc Catalepsia absque peculiari fermento.

## P R O B L E M A T A.

### I.

An una eademque res præter naturam possit esse morbus , causa morbi & symptoma ?

I I.

An dentur morbi in intemperie , morbi humorales , & morbi communes ?

I I I.

An omnis morbus Pathologicè definieundus ?

I V.

An Apoplexia sit Paralyſis universalis ?

V.

An in Catalepsi Spiritus animales naturaliter influant per totum corpus ?

V I.

An Puerorum Epilepsia atque Rhachitis absque remediis & simplici Dietâ curari possint ?

18  
P A R A D O X A.

I.

Apoplectici, numquam vigilantes, dormiunt sine somno.

I I.

Lethargici, vigilantes & dormientes, delirant sine delirio.

I I I.

Cataleptici, nec dormientes nec vigilantes, habent membra flaccida simul & rigida.

I V.

In Vomitu Diaphragma sine contractione contrahitur.

V.

Dum perficiuntur sensationes externæ, nec movent nervos Spiritus Animales, nec moventur à nervis.

VI.

Sensus est in parte corporis humani amputatâ, corruptâ, funeratâ.



Ad clarissimum Virum, dilectissimumque D. Dominum JOANNEM  
VVYSS Helvetum Bernatem Medicinæ Licentiatum, cùm ad Triduana-  
rum Thesum propugnationem sese accingeret.

## O D E.

**M**USA, quam sortem meritisque dignum  
Primum Berna feret ille natus  
Inclytâ, qui pro Medicâ tot hancit  
Arte labores.

Ille Divini veneranda Phœbi  
Casta settatis, quoties adivit  
Nobiles pugnas? Quoties trophaeis  
Dives abivit?

Rursus ad pugnam properat, periti  
Triduo quamquam minitentur hostes  
Pralia; at pulchros memoranda merces  
Suscitat ausus.

Nempe supremos Medicina honores  
Arbiter dudum parat equus illi  
Phœbus, & claro celebrare lata  
Festa Triumpho.

Quo novum versu dein alma tolles,  
Musa, Doctorem? juvat usque vota  
Mittere, ut longo beet Hic. potentem  
Tempore Bernam.

Dumque dilectis referet perenne  
Civibus fama decus & saluems,  
Debitas illi tenero canemus  
Carmine laudes.

## A D E U M D E M.

Cum juvenes aptos ad summas quereret Artes,  
Suscepit vasti Cynthias orbis iter.

Helveticam placuit quoque Bernam visere; cùmque  
Omnia lustrasset, VVYSS mihi natus, ait.

Ingenium est illi præstans, prudentia major;  
Hinc Medicus nostro Numine magnus erit.

Doctrinâ insignes Batavos spectabit, & amplas  
Mente Parisiæ colliget urbis opes.

Monspelium inde petet. Nos hic, interprete Patrum  
Catu, oracula sacris adibus usque damus,

*Hic juvat illius meritis celebrare Triumphum;*

*Hic cinget clarum digna Corona caput.*

*Helvetiam demum repetet, Bernamque parentem,*

*Quam famâ illustret Doctor, & arte bect.*

*Ocius hinc pellet morbos, statuetque salutem,*

*Et metuet tales mors metuenda manus.*

*Accinuit amicitiae numquam intermoritur ergo.*

Joannes G R I E T Friburg. Helv. D. M.

---

**V**I S fracto Medicum de corpore pellere morbos,

*En tibi gentis lux Helvetiæque decus.*

*VVYSS, Opifer tutus, auras non vocibus implet.*

*Multum cordé sapit, nec minus arte potest.*

Intimo sic gratulabatur

Jac. T. BOIS DELAVAU D.

Doratensis, D. M.

**C**UM Cons Hippocrates dixit crudelia nostros.

*Limite constricto cogere fata dies:*

*In cassumque diu tam in sublimi arte parandâ*

*Humanas vires ingeniumque teri.*

*Non sibi fingebat quod Bernensi ex urbe migraret*

*VVYSS, Phœbi artis honos, Helvetiæque decus.*

*Qui Divi arcanum devolveret omne Galeni,*

*Panderet & totum quidquid in arte latet.*

*Morborum arceret turbam febriumque catervas,*

*Et prius indomita frangeret arma necis.*

Ita canebat sibi conjunctissimo.

Joannes Bapt. VILARD.

Rodomnensis Med. Licent.

**O**MNE tulit punctum qui miscuit utile dulci,

*Flaccus Ait. Jam tu quoque, VVYSS charissime, punctum*

*Omne feres, labor est tuus utilis, utilis est ars;*

*Dulcior at merces nunc imminet; almus Apollo*

*Premia digna tuis meritis parat atque Triumphos.*

*I nunc, & quo certa vocat te gloria, gressus*

*Dirige, quamque petis lato accipe fronte Coronam.*

*Aspiciet mirata suum Berna inclyta natum,*

*Teque suum quondam dices decus aique salutem.*

Sic Amici Triumpho accinebat

Joan. Greg. PALTZELL Trevir. M. Bac.